

596
hæc nostra de causis Dissertatio in nimiam molem præter nostram mentem & intentionem crescat. Breves erimus & certos quosdam nostræ dissertationi terminos ac limites, intra quos decurrat, ponemus: Et mens est, non singulas causarum divisiones & subdivisiones neque omnes quæstiones controversas, sed præcipua eaque maximè digna pro ingenii modulo in examen provocare.

Th. II.

Antequam rem ipsam aggrediamur, prius quædam de nomine & voce cause præfari allubescit. Nam in omni materia debet esse cura de Nomine. *Causa* igitur putatur dici, quasi cavissa à cavendo. Beckmannus lib. de orig. ling. lat. dictum putat sic, ut causa sit quasi cauta. Esse enim has literas S & T. *Καυταβλήτης*, indeque infert non esse eam vocem scribendam per SS. Sed unico S. Est autem utraque notatio sumpta ex officio causæ, quod eam tenentes cauti simus & muniti in rerum cognitione, quodque cavere possimus omnis generis errores. Quantum verò ad significationem, vocem cause multifariam sumi certum est. Aliter enim sumitur apud Rhetores, qui *thematæ causas* dicunt, dū certa genera causarum constituunt. *Metaphysici* sumunt hunc terminum vel *latisime*, ut cum principio reciprocetur; tali modo sumitur lib. V. *Metaph. c. 2.* Ita lib. 12. *Metaph. c. 2.* Privationem appellat causam. Et juxta hunc modum ajunt nonnulli Græcos dixisse in Trinitate patrem esse filii causam. Damascen. lib. 1. de *Orthod. fid. c. 8. 9. 11. 13.* Athanas. in *actis Nicenæ Synodi* & Nazianzen. in *orat. 29. & 35.* Imo sic etiam *essentia divina dicitur esse causa, cur Deus sit sapiens* apud Augustinum lib. 7. de *Trinit. c. 2.* vide *Fonsec. lib. 5. Metaphys. c. 1. q. 1. sect. 2.* vel *strictissime*, ut cum sola efficiente convertatur. Hac significatione utitur Augustinus lib. 83. *qq. 28.* ubi omnem causam efficientem asserit. Et Plato in *Hippia majore efficientem & causam* nihil differre ait: vel *medio modo* pro tali principio, quod habet verum influxum in esse alterius, quæ significatio hujus est loci & convenit quatuor generibus causarum. Alii addunt *quartam; causam* aliquando quid latius esse principio *ex cap. 7. lib. 5. de gen. animal.* ubi ait Aristoteles. *Hoc est principium esse, ut ipsum quidem sit causa multorum, sed ipsius nulla sit superior causa.* Juxta hunc locum, omne principium

pium